

1.
DECRETUM REIECTIONIS IN LIMINE

Prot. n. 53235/17 CA
Reductionis ecclesiae X in usum profanum
(D.nus Y – Congregatio pro Clericis)

DECRETUM

Litteris circularibus diei 25 septembris 2015 Exc.mus Archiepiscopus N unionem extinctivam trium paroeciarum X (paroeciae personalis P), V et W in pago v.d. R et erectionem novae paroeciae, Sancto Ioanni Paulo II dicatae, cum fidelibus communicavit. Relate ad ecclesias olim paroeciales tantum asseruit: “The new Parish will [...] be located at W”.

Die 1 ianuarii 2016 suppressio paroeciae ad effectum deducta et ecclesia X clausa est. Cl.mus Y coram H.S.T. epistolam exhibuit, qua die 6 ianuarii 2016 simul cum quinque aliis fidelibus adversus clausuram ecclesiae ad Summum Pontificem provocaverat.

Tantum die 15 septembris 2016 Cl.mus Y ab Exc.mo Archiepiscopo petiit ut ecclesiam denuo aperiret et litteris diei 24 octobris 2016 apud Congregationem pro Clericis conquestus est de clausura ecclesiae petens ut denuo ad cultum aperiretur.

Litteris diei 19 decembris 2016 Congregatio responsionem negativam diei 9 decembris 2015 relate ad recursum diei 22 novembris 2015 adversus suppressionem paroeciae datam confirmavit, censens Exc.mum Archiepiscopum iam die 25 septembris 2015 etiam clausuram definitivam ecclesiae fidelibus praenuntiavisse.

Die 28 decembris 2016 Cl.mus Y a Congregatione pro Clericis expostulavit ut ecclesia denuo ad cultum adhiberetur, asserens agi de recursu adversus silentium Exc.mi Archiepiscopi. Diebus 12 ianuarii et 1 februarii 2017 Cl.ma L.T. Musso, Patrona Recurrentis, in examine recursus ex parte Congregationis institit.

Die 4 martii 2017 Congregatio pro Clericis cum Cl.mo Y et Cl.ma Musso communicavit se nihil aliud respondere posse, nisi id quod iam die 19 decembris 2016 statuerat, nempe sive recursum adversus unionem paroeciarum sive recursum adversus reductionem ecclesiae in usum profanum ob transactum terminum examinari non posse.

Die 24 maii 2017 Cl.mus Y ope facsimilis adversus praesumptam responsionem negativam et, subordinate, adversus litteras die 4 martii 2017 ad H.S.T. provocavit.

Expeditis et die 29 septembris 2017 obtentis actis,

SUPREMUM SIGNATURAE
APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini subiecta;

Praemisso quod:

- Suppressio paroeciae X apud H.S.T. impugnata non est;
- Recursus ad H.S.T. adversus silentium Congregationis pro Clericis relate ad reductionem ecclesiae in usum profanum necessarie praesupponit recursum legitimum ad Dicasterium Curiae Romanae factum;
- Congregatio litteris diei 4 martii 2017 statuit se recursum adversus reductionem ecclesiae in usum profanum – utpote non legitime interpositum – examinare non posse: “I must reconfirm what was already stated in this Congregation’s letter to you of 19 December 2016 ... Previous letters from parishioners to this Dicastery, did not furnish basic documents, in a timely fashion, by which the intervention of the Holy See by means of hierarchical recourse might be requested. Your own letters did not make up for those omissions”;

Perpenso quod nec in documentis huic recursui adnexis nec in actis ad H.S.T. transmissis exstat decretum, quo Exc.mus Archiepiscopus ecclesiam X in usum profanum reduxisset quodque in recursu hierarchico impugnari potuisset;

Cum ergo huius recursus hierarchici materia apud Congregationem pro Clericis desit;

Salva facultate Recurrentis, si et quatenus, provocandi adversus decretum tandem latum vel saltem editum, quo ecclesia X in usum profanum ad normam can. 1222, § 2 ab Exc.mo Archiepiscopo reducitur;

Praetermissis ceteris forte animadvertendis;

Viso voto Rev.di Promotoris Iustitiae Substituti;

Viso art. 76, § 1 Legis propriae H.S.T.,

decrevit:

Recursum in limine reiciendum esse et facto reici ob defectum praesuppositi.

Adversus hoc decretum datur recursus, motivis suffultus, ad Congressum intra peremptorium decem dierum terminum ab eodem recepto.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis die 26 octobris 2017

+ Iosephus SCIACCA
Episcopus tit. Fundanus
Secretarius

Marius LEITE DE OLIVEIRA
vices Praepositi Cancellariae agens